

illa verba: *Cum instante necessitate*, etc., respondere tacite objectioni, quomodo fieri possit Abbas, qui non potest fieri sacerdos; ergo non sola privatio actualis, sed incapacitas consideratur. Unde ex illo textu solum colligitur, irregularem ad sacros ordines non posse jure ordinario eligi in Prælatum religionis; sequiturque hoc ex præcedenti assertionem; nam, eo ipso, quod obligatur ex vi muneris ad sacros ordines, non potest ad illud eligi, qui ad eos est impeditus. Quæ vero necessitas sufficiat, ut, non obstante hac irregularitate, quis eligatur, et an tunc etiam requiratur dispensatio, paulo inferius dicemus.

23. *Necessarium vero est ut habeat saltem primam tonsuram.*—Ultimo vero circa hanc conditionem addi potest, necessarium esse ut eligendus ad prælationem regularem, præsertim supremam, clericus ordinatus sit, saltem in minoribus ordinibus, seu aliquo eorum. Hoc aperte colligitur ex d. c. *Tuam*, ibi: *Cum instante necessitatis articulo, possit in Abbatem assumi etiam in minoribus constitutus.* Et ratio supra facta est, quia laicus omnino seu non clericus non potest rite eligi ad dignitatem ecclesiasticam, quia non est capax ejus, ut sæpe dictum est; nemo autem eligi potest ad id cujus non est capax. Adeo ut in c. *Contingit*, de Arbitris, dicat Innocentius III: *Generaliter prohibemus ne super rebus spiritualibus compromittatur in laicum*; et idem in c. 2, de Judiciis, prius dicitur laicos non posse tractare ecclesiastica negotia; postea vero additur: *Sed Episcopi, Abbates, etc.*, ubi supponitur Abbates non posse esse laicos, ut sint apti ad res ecclesiasticas tractandas; et quoad hoc, ut Abbas notat, mos, seu jus antiquum immutatum est. Et ratio fundamentalis est, quia olim Abbas monachorum non habebat jurisdictionem spiritua-lem. Quæri vero potest an sufficiat prima tonsura, quia in d. c. *Tuam*, dicitur: *In minoribus ordinibus constitutus*, cum tamen prima tonsura ordo non sit. Dico tamen sufficere; quia intentio juris solum est ut sit clericus, et capax spiritualis jurisdictionis.

24. *Quarta conditio: carentia irregularitatis.*—Quarta principalis conditio assignari potest, ut eligendus in Prælatum irregularis non sit. Sed sciendum est irregularitatem proprie ac per se primo respicere ordines; est enim inhabilitas quædam ad ordines recipiendos; hic autem sermo est de irregularitate latius sumpta, ut dicit etiam inhabilitatem ad beneficium ecclesiasticum, vel præ-

lationem. Quia vero beneficium, ac prælatio, supponit aliquem ordinem, ideo irregularitas simpliciter consequenter est impedimentum ad ecclesiasticam prælationem; nam irregularitas simpliciter est, quæ impedit omnem ordinem, et consequenter usum ejus, et quidquid talem ordinem et usum requirit. Nam qui ad aliquid est inhabilis, consequenter fit inhabilis ad id, quod est illi connexum, ut dixit Glossa, in cap. *Studeat*, d. 50, verbo *Ut tale beneficium*, et Navar., cap. 27, num. 251. An vero illa irregularitas, quæ non impedit omnem ordinem, sed aliquem, verbi gratia, sacerdotium, aut ordinem sacrum, impediatur omnino hujusmodi electionem, dubitari potest. Verumtamen idem iudicium in hac quæstione dari debet, quod de electione ad quodlibet aliud beneficium facta de persona irregulari, de qua diximus in propria materia, disput. 40, sect. 2, num. 30, esse nullam ipso jure; idem ergo est in præsentem, quia hæc prælatio regularis, esto non sit proprie beneficium quoad temporale annexum, est tamen quoad jus spirituale circa curam animarum, et in omni rigore est dignitas ac prælatio. Verum est regulam illam maxime procedere de irregularitate simpliciter; si tamen res attente consideretur, hic non est necessaria distinctio inter irregularitatem partialem et totalem; quia si irregularitas est præcise ad sacerdotalem ordinem, hoc satis est ut, per se loquendo, impediatur electionem personæ ad hujusmodi prælationem, juxta dict. cap. *Tuam*, et juxta dictam regulam generalem, de his quæ inter se connexa sunt; nam, secundum ordinarium jus, hujusmodi Prælati debent esse sacerdos, et ideo, eo ipso quod est irregularis ad sacerdotium, impeditur ne eligi possit. Quod si sit irregularis ad aliquem inferiorem ordinem, eo ipso est irregularis ad omnes superiores, ut ex propria materia constat; et ideo perinde impedit.

25. *Possitne eligi qui est irregularis solum ad Episcopatum.*—Solum posset excogitari irregularitas seu inhabilitas ad solum episcopatum, et non ad sacerdotium; et de illa concedendum est, non esse impedimentum ad hanc electionem, quia nec directe prohibet hanc prælationem, ut supponitur; nec propter connexionem, quia ad hanc prælationem non est necessaria dignitas Episcopalis. Dices: est saltem necessaria jurisdictio Episcopalis. Respondeo, per talem irregularitatem directe prohiberi consecrationem Episcopalem; ju-

risdictionem autem solum consequenter, quatenus consecrationem supponit. Imo, licet non sit irregularitas in hac proprietate, sed pœna inhabilitatis ad dignitatem seu jurisdictionem Episcopalem, non esset extendenda ad hanc jurisdictionem *quasi Episcopalem*, qualis est in Prælati religionis, etiam supremo, quia pœna non est extendenda ultra rigorem verborum; in rigore autem illa dignitas non est Episcopalis. Unde secus erit, si inhabilitas non limitetur ad illam dignitatem in specie, sed extendatur ad prælationes, vel dignitates Ecclesiasticas in genere; tunc enim sine dubio comprehendet hanc de qua tractamus.

26. *Electio impediti irregularitate partiali non est ipso jure irrita.*—Una vero differentia assignari potest inter irregularitatem integram, seu ad omnes ordines, et partialem ad aliquos tantum ex superioribus, quod prior ita reddit personam inhabilem, ut electio de illa facta, eo ipso irrita sit, quia est incapax jurisdictionis spiritualis; at vero irregularitas partialis, verbi gratia, ad sacerdotium, vel sacros ordines, licet impediatur, regulariter loquendo, electionem, non tamen reddit illam ipso jure nullam; quia non reddit personam incapacem jurisdictionis spiritualis, et alioquin nullum est jus expresse irritans talem electionem, neque ex vi solius connexionis sequitur irritatio ipso jure, sed solum quod possit irritari; quia conditio sacerdotii, ut dixi n. 21, non est necessaria antecedenter, sed solum consequenter. Et hoc etiam potest aliquo modo colligi ex d. cap. *Tuam*, dum significat, in necessitate posse eligi hujusmodi irregularem; in quo videtur supponi illum non esse absolute incapacem talis dignitatis. Unde etiam probabile est in eo casu non esse necessariam dispensationem ab homine concessam ad talem electionem, quia satis conceditur ex vi illius juris; et ita intelligo, quod Panormitanus et alii ibi dicunt, talem personam tunc assumi dispensative, scilicet concessione aut interpretatione juris.

27. *Irritabitur tamen nisi debito modo validetur.*—Nihilominus tamen, ut talis electio rata et firma maneat, necessarium erit ut vel superior dispenset in tali irregularitate, vel confirmet aut conferat talem prælationem cum facultate retinendi et administrandi illam absque sacerdotio, vel ordinibus sacris. Quocirca, si quis prædicto modo irregularis eligeretur ad hujusmodi prælationem, etiam sine necessitate, et postea, priusquam cassa-

retur electio, obtineret dispensationem irregularitatis, fortasse jam non posset irritari electio, quia electio fuerat valida, licet infirma, solum ratione impedimenti ad debitum usum et ad explendam obligationem talis dignitatis; ablato ergo impedimento, roboratur (ut sic dicam) et firma manet electio. Maxime cum nullum sit jus quod directe præcipiat illam irritari, nisi existente justa causa impediende sacrum ordinem, argumento cap. 1, de *Ætat.* et qualit.

28. Jam vero occurrebat hic dicendum in particulari de nonnullis conditionibus, quæ personam frequentius solent reddere inhabilem ad hujusmodi electionem; ut præcipue sunt defectus natalium quoad ortum illegitimum, defectus originis ex radice infecta macula hæresis, apostasiæ, vel Judaismi, aut alterius sectæ damnatæ, et infamiæ. Sed de his omnibus dixi late in materia de Irregulari, disput. 43, 48, 50, neque hic aliquid novum notatu dignum occurrit, nisi hoc solum, quod esse illegitimum impedit jure communi, juxta cap. 1, de Filiis Presbyt., ex quo plane habetur, etiam post professionem religionis durare hoc impedimentum. An vero per superiorem religionis dispensari possit, consulenda sunt specialia privilegia, nam jure communi non potest; de quo infra, a cap. 12, nonnihil attingemus. Secundum autem defectum non constat impedire ex vi solius juris communis, et ideo specialia jura religionum vel provinciarum consideranda sunt et servanda. De tertio glossa, in d. cap. *Tuam*, verb. *Non ascendat*, dicit, infamiam non impedire abbatiam prælationem; citat cap. *Accedens*, d. 50, ubi Saturninus quidam presbyter, qui pro crimine a sacerdotii ordine erat dejectus, sollicitudinem de monasteriis gerere, et in eodem statu manere permittitur; sed si infamia talis sit quæ reddat personam irregularem ad sacerdotium, consequenter impedit hanc prælationem, ut dictum est, quia conjuncta est cum ordine sacerdotali; decretum autem illud Gregorii procedit juxta antiquum jus, in quo Abbates esse poterant non ordinati, et ideo irregularitas ad ordines per se non impediabat prælationem, nisi in casibus expressis. Eo vel maxime quod non constat Saturninum illum fuisse Abbatem; imo verisimilius est tantum habuisse ministerium temporale, seu procurationem quorundam monasteriorum, ut bene exponit Turrecremata ibi. Qui censet, etiam eo tempore non potuisse irregularem a sacerdotio, esse

Abbatem: qui non posset curam animarum monachorum exercere. Et ex illo quidem textu aliud non colligitur, ut bene ipse explicat; tamen ratio ejus non cogit, quia tempore Gregorii poterat esse Abbas sine ordinibus sacris, ut supra cap. 1, num. 3, ostensum est, ex 1 Dialogor., cap. 4, et aliis testimoniis. Nihilominus verisimilius est infamem secundum jus canonicum nunquam potuisse esse Abbatem, quia id est valde indecens, et repugnans tali muneri; nunc autem multo certius id est, quando hæc est propria spiritualis prælatio. Sed de hac infamia videnda sunt, quæ late tradidimus in fine 5 tom., disp. 48.

CAPUT IV.

DE CONDITIONIBUS ELIGENTIUM DICTUM GENERALEM.

1. *Prima assertio, seu conditio, ut eligentes sint de ipsa religione.* — Hactenus dictum est de conditionibus requisitis ex parte eligendi; nunc dicendum secundo loco superest de eligentibus, quod brevius expediri potest. Primo enim dicendum est, electionem hanc pertinere ad ipsammet religionem, nam secundum commune jus eligere Prælatum alicujus congregationis, ad ipsam congregationem spectat, cap. 1 de Electione, et cap. 2, 3, 4 et sequentibus, 18, quæst. 2, ubi specialiter de monachis agitur; et sicut statuitur ut Abbas de eadem congregatione eligatur, ita etiam quod ab eadem congregatione. Atque hoc jus commune maxime receptum est in omnibus religionibus secundum jura specialia quoad supremam prælationem totius religionis, quia in illa erat moraliter necessaria electio, ut supra ostendi, cap. præced., num. 2; non erat autem expediens, ut esset ab externis, ut per se notum est. Quid autem requiratur ut hæc congregatio ad hunc finem seu effectum legitima sit, maxime attendendum est ex conditionibus requisitis in singulis eligentibus, de quibus statim, et in authentica ac sufficiente eorum convocatione, quæ maxime pendet ex propria institutione et modo singularum religionum. Nam in unaquaque debet convocatio fieri ab eo qui ad illud munus deputatus est, auctoritatemque habet ab ipsa religione, et similiter convocandi sunt omnes etiam, qui juxta statuta uniuscujusque religionis suffragium in illa habere possunt.

2. *Secunda assertio, ut sint professi.* — *Dubium explicatur.* — Secundo dicendum est, hujusmodi eligentes debere esse professos ejusdem religionis, non tamen esse necessarium ut sint expresse professi. Prior pars certa est ex eisdem juribus citatis, 18, q. 2, ubi monachis committitur sui Abbatis electio: *Quem sibi* (ait Gregorius ibi, c. 5) *propria voluntate concors fratrum societas elegerit*; nomine autem fratrum intelliguntur, qui jam per professionem facti sunt religiosi. Expressum vero jus est in cap. *Ex eo*, § *In Ecclesiis*, de Elect., in 6; et in cap. *Indemnitatibus* idem circa electionem monialium præcipitur, ubi glossæ et Doctores conveniunt. Denique ita habet omnium religionum consuetudo. Ratio etiam id exigit, quia novitius non est verum membrum illius corporis; ergo nec jus eligendi habere potest. Præterea rationes fere omnes, propter quas novitius non potest eligi in Abbatem, probant non posse eligere. De quibus videri potest cap. *Cum in magistratum*, de Electione, scilicet, quia non debet esse prius magister quam discipulus; et quia novitius non satis est expertus religionem, nec potest habere sufficientem notitiam personarum. Alteram partem docet expresse glossa, in cap. *Nullus*, et in cap. *Ex eo*, verb. *Tacite*, et cap. *Indemnitatibus*, verb. *Tacite*, de Elect., in 6, et probatur sufficienter ex dictis juribus; nam in primo solum postulatur expressa professio in eligendo; tacetur autem de electore; jus autem novum non mutat vel limitat antiquum, nisi in eo quod exprimit; in aliis vero juribus expresse requiritur sub disjunctione professio tacita vel expressa; ergo quælibet earum sufficit. Ratio autem est, quia utraque est vera professio. Dices: cur potius in eligendo quam in electore requiritur, quod professio fuerit expressa? Respondetur, hoc pendere ex jure positivo, et ideo voluntatem legislatoris esse nobis pro sufficienti ratione; illum autem movere potuit, quia plus multo est eligi in Prælatum quam eligere, ideoque plures conditiones in eo requiruntur. Item quia, ut quis habeat jus eligendi, satis est quod vere ac substantialiter sit membrum communitatis seu religionis, quod non minus tenetur perpetuo obedire Prælato, quam reliqui; hunc autem statum tam vere ac proprie habet per professionem tacitam, sicut per expressam; ut autem eligatur in caput, id satis non est, propter alias rationes superius allatas,

3. *Instantia removetur.* — Tertio dicendum est, necessarium esse ut electores sint clerici, et in sacris constituti. Prior pars probari potest ex d. c. *Ex eo*, § *In Ecclesiis*, de Elect., in 6, ibi: *Conversi laici cum clericis electionibus interesse non debent* (scilicet) *in Ecclesiis regularibus, vel monasteriis*; circa illa autem verba advertit glossa, ex vi illorum non excludi monachos professos, etiam non ordinatos, si ad ordines tendant, quia illi non vocantur *conversi*, sed propriissime monachi; unde quamvis pro tunc sint laici, id est nondum clerici ordinati, nihilominus non possunt dici *conversi laici*; non ergo sub illis verbis comprehenduntur. Et ad hoc confirmandum refert varia jura, quæ solum probant, per nomen *monachi* comprehendendi fratres non clericos: quod satis a nobis est in superioribus confirmatum. Imo, juxta morem antiquum, etiamsi nunquam ordinati essent, *monachi* vocabantur; qui etiam nunc existim inter dum accipi hanc vocem in tam lata significatione, ut conversos vere professos comprehendat, cap. *Canonica*, de Sentent. excommunicat. At vero e contrario nomen *conversi* revera non solet attribui monachis, ex eo tantum quod ordinati non sint, sed ex eo quod sunt in gradu, in quo ad ordines non deputantur, licet sint vere religiosi: Geminianus, in cap. *Exceptionem*, de Privilegiis, in 6, et alii communiter. Quocirca, stando in proprietate dictorum verborum, videtur vera sententia glossæ, quam sumpsit ex Innocentio, in c. 2, de Institutionibus, et idem sentiunt Abbas, cap. 1, de Procuratoribus, n. 9; Felinus, in cap. *Non dubium*, de Sentent. excomm., num. 3, vers. *Secunda conclusio*. Dicit vero aliquis saltem præsuppositive colligi hanc partem ex illo textu, quatenus dicit conversos laicos non esse admittendos ad electionem simul cum clericis; supponere enim videtur faciendam esse a clericis. Sed hoc etiam non cogit, nam, licet supponat, ubi sunt clerici, faciendam esse ab illis, non tamen a solis illis; nam, si hoc supponeret, non oporteret decretum facere de excludendis conversis laicis; unde potius retorqueri potest argumentum in contrarium, colligendo ab speciali, vel ex illo principio quod *exceptio firmat regulam in contrarium*; nam ibi Pontifex volens excludere eos, qui cum clericis admittendi non sunt ad electionem, solum excludit conversos laicos; ergo virtute admittit omnes alios professos, qui monachi sunt, et non tantum conversi. Et inter eos po-

test optima ratio differentie assignari; nam alii religiosi, quamvis non sint ordinati, possunt esse litterati, et majorem rerum notitiam habere, quæ ad hujusmodi electionem solet esse necessaria.

4. *Unde nunc suaderi possit.* — Igitur ex antiquo jure nihil invenio quod illam priorem partem sufficienter probet; imo Innocentius supra aperte dicit, jus eligendi cadere in monachum laicum. Et idem sentit Panormitanus cap. 2 de Institutionibus, num. 5. Quorum sententia maxime procedit secundum jus antiquum, quando monachi, etiam ipsi Abbates, erant laici; tunc enim clarum est electionem Abbatum potuisse fieri a monachis laicis, etiamsi inter eos essent aliqui clerici; quia hoc erat accidentarium; et quia per talem electionem non conferebatur jurisdictione spiritualis, ut supra declaravi. Nunc autem quando Abbas religionis est proprius Prælatum, et jurisdictionem spiritualem habet, videtur ex alio principio requiri, ut eligentes omnes clerici sint, quia jus eligendi ad hujusmodi prælationes non cadit in laicum, ut dicitur in cap. *Sacrosancta*, et cap. *Massana*, de Electione. Et quamvis illi textus possint intelligi de laicis omnino secularibus, quia in casibus illorum textuum de illis erat sermo, et rationes etiam ad illos maxime pertinent, nihilominus cum hæc electio munus quoddam spirituale sit, videtur satis probabile regulam ipsam extendendam esse ad omnes laicos. Quia, ut supra notavi, et initio materie de Censuris, cum jura dicunt spiritualem administrationem, vel electionem, non esse committendam laicis, laicorum nomine comprehenduntur etiam religiosi non ordinati; ergo, cum hæc electio sit aliquo modo actus jurisdictionis, vel saltem administrationis spiritualis, videntur ab illa excludendi omnes laici, quantumvis monachi sint. Et consequenter posset probabiliter sustineri ad eos etiam extendi dict. cap. *Ex eo*; nam, licet conversorum nomine in rigore non veniant monachi, nihilominus quæ negantur conversis, non quia conversi sunt, sed quia laici sunt, videntur consequenter negari etiam laicis; hujusmodi autem videtur esse in præsentibus actus eligendi spiritualem Prælatum: non enim negatur conversis, eo quod ad inferiora et temporalia officia sint destinati, id enim humilitati religiosæ consentaneum non esset, nec solum vel præcipue quia non sunt litterati, quia hoc ex se non obstat hujusmodi electionibus, sed maxime necessaria est pruden-